

adulantem se, neque adulandum cuiquam exhibeat. Alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum. Non despiciat, quid de se unusquisque, et maxime vir optimus sentiat. Hoc enim modo discit bonis deferre reverentiam. Nam negligere bonorum iudicia, vel arrogantiae, vel dissolutionis est: quorum alterum superbiae ascribitur, alterum negligentiae. Caveat etiam motus animi sui; ipse enim sibi et observandus et circumspiciendus est: et ut adversum se cavendus, ita etiam de se tuendus. Sunt enim motus, in quibus est appetitus ille, qui quasi quodam prorumpit impetu. Unde Graece ὄρμη dicitur, quod vi quadam se repente proripiat. Non mediocris in his vis quaedam animi atque naturae est. Quae tamen vis gemina est, una in appetitu, altera in ratione posita, quae appetitum refrenet et sibi obedientem praestet, et ducat quo velit: et tanquam sedulo magisterio edoceat, quid fieri, quid evitari oporteat, ut bonae dormitrici obtemperet. Solliciti enim debemus esse, ne quid temere aut incuriose geramus, aut quidquam omnino, cujus probabilem non possimus rationem reddere. Actus enim nostri causa, etsi non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur. Nec vero habemus, in quo nos possimus excusare. Nam etsi vis quaedam naturae in omni appetitu sit; tamen idem appetitus rationi subjectus est lege naturae ipsius, et obedit ei. Unde boni speculatoris est ita praetendere animo, ut appetitus neque praecurrat rationem, neque deserat: ne praecurrendo perturbet atque excludat, eamque deserendo destituat. Perturbatio tollit constantiam, destitutio prodit ignaviam, accusat pigritiam. Perturbata enim mente latius se ac longius fundit appetitus, et tanquam efferato impetu frenos rationis non suscipit, nec ulla sentit aurigae moderamina, quibus possit reflecti. Unde plerumque non solum animus exagitur, amittitur ratio, sed etiam inflammatur vultus, vel iracundia, vel libidine: pallescit timore, voluptate se non capit, et nimia gestit